DE NVLLITATIBVS

CONTRACTVVM, QVASI CONTRACTVVM, DISTRACTVVM, VLTIMARVM VOLVNTATVM, ET QVORVMCVMQVE ACTVVM EXTRAIVDICIALIVM

TRACTATVS AMPLISSIMVS

IN PLVRES TOMOS DIVISVS:

In quo, ferè, tota materia legalis, quo ad Contractus, Vltimas Voluntates, & actus Extraiudiciales, latè, & luculentèr tractatur, & explicatur.

AVTORE

DOM. DON BLASIO ALTIMARO

I. C. NEAPOLITANO, ET NEAPOLITANO, ET FLORENTINO PATRITIO.

Olim, Inſigni, in Neapolitanis Tribunalibus, Aduocato, Regij Caſtri Noui eiuſdem Ciuitatis Neap. Auditore, Sacri Regij, Caſtri Capuani, Conſilij, Conſiliario, Regiæ Cameræ Summariæ Fiſci Patrono, & nunc denuò in eodem Supremo Caſtri Capuani S. R. Conſilio, Conſiliario.

13
17333
Num. . 47.
Caxo. . . 5.
num. . . 22
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

NEAPOLI, M.DCC.
Ex Typographia Caroli Porpora, & Nicolai Abri
SVPERIORVM PERMISSV.
Expenſis Caroli Porpora, in cuius Libraria proſtant. CVM PRIVILEGIO.

x7-3-

AD EXCELLENTISSIMVM DOMINVM

D. LVDOVICVM DE LA ZERDA, ET ARAGON,

Enriquez, Afan de Riuera, Hiſpaniæ non ſemel Magnatem, Ducem Medinæ-Cœli, Sogorbæ, Cardonæ, & Alcalà, Comitem Emporiæ, Cubicularium Suæ Catholicæ Maieſtatis, & in præſenti Regno Neapol. Vice-Regem, Locumtenentem, & Capitaneum Generalem.

OPerum Authores, Excellentiſsime Domine, dedicant eorum litterarios labores, magnis Principibus, vt illi eos protegant, & vt ex Magnorum Principum ſplendore, talia Opera, in toto Terrarum Orbe, ſplendoribus coruſcent, & magnis efferantur laudibus, & honoribus. Finis Serui Veſtri haud fuit, aut eſt protectio, nam Excellentia Veſtra, ob ſummam, & innatam benignitatem, & abſque vllis, Veſtri Serui, meritis, admodum, in occaſionibus, vt notum eſt, protexit, & protegit. Solus finis talis Dedicationis fuit, & eſt, vt Opus hoc, quale quale ſit, habens in fronte Inſigne Nomen Excellentiæ Veſtræ, per totum Orbem, pluſquam cognitæ, ob ſuam notiſsimam Nobilitatem, Regibus nihil, aut parum diſparem, tanquam de Excellentiſsimis Familijs ZERDA, ARAGONA,

DON BLASI ALTIMARVS
PATRITIVS NEAPOLITANV
REGIVS CONSILI ARIVS ÆTATIS SVÆ
ANN. LX.
Iacobus del Po del.
A. Maglianus Sc.

PRÆFATIO.

OPus de Cōtractibus vaſtiſſimum, difficillimum, & vtiliſſimum eſt. Vaſtiſſimum, quia continet materiam de contractibus in genore, & eius ſpeciebus, quæ ſunt vltra 30 quorum vnaquæque iuſtum exigit volumen, ſi benè tractanda ſit. Difficillimum, quia auaritia, cuius præcipua paleſtra contractus ſunt, cupiens pro eo, omnium rerum dominia ſibi vſurpare, tot tecnis, & tricis, cæciſq; labyrintis eos intricauit, vix, vt ex tot laqueis extricare ſe quiſquam valeat, cum mille nocendi partibus, & decipiendi ipſa polleat; Accedit quod iura ipſa, & leges tot ſunt præceptis poſitiuis; & cautelis implicata, & inuoluta, vt alicui forſan potius implicare cōtractus, quàm explicare, & litibus anſam præbere, ac æternas reddere, quam finire, aut ſopire videantur. Sed Nobis difficultas non diſanimat, imo magis cogit ad illam materiam explicandum. Vtiliſſimum Theologis, Iuriſperitis vtriſque conducibile, Iudicibus, & Iuſtitiæ Miniſtris expetibile, mercatoribus, in primis appetendum, omnibus demum, etiam infimi vulgi hominibus, valdè proficuum, quia ab omnibus, contractus celebrantur, & frequentantur, ſine quibus vita hęc, & quidem frequentius tranſigi non poteſt. Ideò Nos, illis enodandis, quidquid eſt laboris, induſtriæ, peritiæque noſtræ, libenter impendemus.

Inuocato itaque *Omnipotentis Dei, Virginiſque Matris Deiparæ, Sanctorumq; Protectorum noſtrorum, S. Blaſij, S. Franciſci Xauerij, S. Ioſephi, S. Nicolai Barenſis, & omnium Sanctorum præſidio*, tantum Opus agredimur, quo freti, & muniti, De *Contractibus* in genere differemus, poſt *Contard. Mozzium: Io: Garziam, Ludouicum Lopez, Mercado, Gomes tom. 2. var. P. Molina tract. 2. de Iuſtit. à diſp. 252. Onat. de Contractibus, Leſſium, Filluc. Reginaldum, Rebellem, Bonacinam,* ſparſim *Nauarrum, Couarr. Guttier. Theologos in. 4. Summ. verb. Contractus. D. Thomam,* & ibi *Gaiet. verb. Contractus, Salonem tom. 2. de Iuſtit. Aragon. Salas. Eman. Rodriq. Enriquez. Azor. Inſtit. moral. Card. Tuſc. lit. C. concl. 979. & ſeqq. vſq; ad concluſ. 1004. & verb. pactum. Donell. lib. 12. comment. cap. 6. & ſeqq.* vbi *Oſuald. Card. Mantica de tacit. lib. 1. tit. 1. & ſeqq. Petr. Gregor. ſyntagm. lib. 11. cap. 1. & ſeqq. Cuiac. in l. 1. §. 3. ff. de pactis, & lib. 2. obſeruat. Th. Sanch. de matrim. tom. 1. per tot. Scacc. de commerc. §. 1. q. 7. p. 3 limit. 17. & ampl. 19. p. 2. Pichard. Inſtit. de obligat. in §. ſequenti, & §. ibi, qui Inſtit. de obligat. ex delicto,* & ibi *D. Verde, & cæteri ſup. Inſtit. omnibus. Iul. Capon. de pactis, & ſtipulat. Caſtejon in Alphab. Iuridic. verb. Contractus. Conuentio, Pactum. Sabell. in ſumma eiſdem verb. Contractus, conuentio, pactum. Vidman de contractibus. Picum de contractibus. Michaelem de Loy Cadomæi in Idea de pactis, & contractibus, Bolan. in Curia philipp. P. Molfeſ. in ſumm. moral. Theol. p. 2. P. Baſſ. de effect. contr. matrim. & Tract. de dote Beier. de Iure nullit. contract. Caluin. in lexic. verb. contractus, & alibi. Alderiſ. de Symbol. contract.* & alios.

Nullitas Contractuum, Quaſi contractuum, & Diſtractuum poteſt eſſe, vel ex defectu conſenſus in illis requiſiti, putà quia in illo adeſt metus, vis, dolus, Ira, Iracundia, Ignorantia, Error, Incertitudo, Dubietas, falſa Cauſa, falſa demonſtratio, Conditio Impoſſibilis, Obliuio, Captio, Perplexitas, Repugnantia, Incompatibilitas, & adſunt alia ſimilia.

Vel ex defectu perſonarum Contrahentium, Quaſi contrahentium, vel Diſtrahentium, quia illi facti ab Infante, Minore, Fatuo, Mentecapto, Ebrio, Filiofam., Seruo, Muliere, Monaco, Prodigo, Amante, Cæco, Muto, Surdo, Milite, Foriudicato, Deportato, Condemnato ad mortem, vel ad aliam pœnam, Abbate, Procuratore Fiſci, Beneficiato, Furioſo, Vniuerſitate, Collegio, Marito, Tutore, Curatore, Balio, Delinquente, Auaro, Stolido, Excommunicato, Aduena, Peregrino, Rege, Officiali, Decocto, Aduocato, Medico, Patre, Hęretico, Prucuratore, Adiecto, & ſimilibus.

Vel ex defectu Rerum, reſpectu quarum contrahitur, quaſi contrahitur, vel diſtrahitur, quia facti ſuper re Sacra, publica, ſuper re non in noſtro commercio, vel ſimili; Vel quia Contractus, Quaſi contractus, aut Diſtractus eſt contra bonos mores, aut fouet peccatum.

Vel ex defectu Formæ, & Solemnitatis, in Contractibus, quaſi contractibus, vel diſtractibus, requiſitę, vel de Iure communi, vel Statutario.

Vel ex defectu Loci, vel temporis, vbi, & quo contrahitur, quaſi contrahitur, vel diſtrahitur.

Ideò de omnibus his, in quinque Rubricis, Opus Nullitatum Contractuum, Quaſi contractuum, & Diſtractuum, Diſtinguentes, Agemus. Et primò.

DOMINI D. BLASIJ ALTIMARI REGIJ CONSILIARIJ, TRACTATVS

DE NVLLITATIBVS CONTRACTVVM, QVASI CONTRACTVVM, ET DISTRACTVVM.

RVBRICA I.

SVMMARIVM. Qu. 1.

Cognitio rei in omni materia premictenda eſt. num. 1.
Ignoratis principijs, ea, quæ ſequuntur ignorantur. n. 2.
Contractus quo Iure ſint. à n. 3. ad n. 8.
Ethimologia contractus. n. 9. 10. vſq; ad n. 20.
Deffinitio contractus. n. 31. & ſeqq. vſq; ad n. 35.
Contractus talis iudicatur, qualis eſt ſubſtantia illius, & verba patiuntur. n. 36. vbi tota materia vſq; ad n. 62.
Contractus alij ſunt puri, alij conditionales, aut modales, aut in diem. Alij veri, alij ſimulati, alij falſi. n. 63. 64. 65. 66. 67.
Alij obligatorij ex vtraque parte, alij ex vna. nu. 68. Alij correſpectiui, & à n. 69. vſq; ad n. 75.
Contractus conditionalis, ſub modo, & in diem contractus eſt. nu. 76. & à n. 77. ad n. 115.
Contractus ex conuentione legem accipiunt. n. 116. vſq; ad n. 123.
Contractus alij ſunt proprij, alij improprij, alij impropriiſſimi. n. 124. & à n. 126. ad n. 141.
Contractus ſunt nominati, & innominati. n. 142. & ſeqq. vbi tota eorum materia vſq; ad n. 290.
Contractus alij ſunt bonæ fidei, alij ſtricti Iuris. n. 291. vbi num. ſeqq. tota illorum materia vſque ad n. 382.
Quid ſit conuentio, & pactum. num. 387. vſque ad n. 405.
Conſenſus vbi requiritur ad validitatem actus, ſi conſentire debens ſit præſens, & taceat, an conſentire videatur. n. 406. & num. ſeqq. vbi tota materia vſq; ad n. 509.
Contractus, an, & quando poſſit celebrari in teſtamento, & an ſit renocabilis; vbi tota materia. num. 510. vſq; ad n. 595.
Contractus omnes ſunt in ſcriptis, & ſine ſcriptis. nu. 596. ad n. 718.
Contractus ad ſuam perfectionem requirit conſenſum hinc inde contrahentium. n. 719. cum ſeqq. vſq; ad n. 750.
Contractus non poteſt claudicare, quia debet eſſe obligatorius hinc indè. n. 751. vſq; ad n. 835.

DE NATVRA, ET ESSENTIA CONTRACTVS.

Quid ſit, & quotuplex ſit Contractus? Qu. 1.

1 COgnitio rei præmictenda eſt in omni materia, tamquam præcipua, nam id eſt ſcire rem, ac naturam eius callere, & probe illa cognita, medium eſt omnium concluſionum, & cauſæ effectus, proprietates, immo, & accidentia, & qualitates facilè dignoſcũtur ad tex. in l. ut reſponſum C. de tranſact. l. 1. ff. de Iuſtit. & Iure l. 1. ff. de orig. Iuris, Card. Mantica de tacit. lib. 23. tit. 1. nu. 1. Baron. de citat. q. 2. Duard. de ſociet. qu. 1. Giurba de feud. præl. ud. 1. n. 1. Olea de ceſſ. Iur. tit. 1. q. 1. nu. 1. Carp. de execut. vltim. volunt. c. 1. n. 15. ſeqq. Lotter. de re benefic. lib. 1. qu. 1. num. 14. ſeqq. Parexa de Iuſtr.